



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 44. S. Sabæ Reliquiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

bam ducunt ad flumen tunc Musea, ho-  
 die Musous in Valachia, ut aquis submer-  
 gerent; ipse dicebat: *quid peccavit Pres-*  
*byter, quod mecum mori non liceat?* re-  
 sponderunt lictores: *ejus mortem impe-*  
*rare, tuum non est.* Tum Deum orare  
 cœpit, nec toto itinere cessavit; ubi ad  
 ripam fluminis ventum, ajebant inter se  
 lictores: *cur non potius hunc virum di-*  
*mittimus? innocens est; nunquam hoc fa-*  
*ctum ad aures Atharidis perveniet.* S. Sa-  
 bas ait: *quid cunctamini, quod vobis im-*  
*peratum est, facere? video ego, quæ vos*  
*videre non potestis; ecce in adversa ripa*  
*stant, qui me in Gloriam recipient.* His  
 dictis proximè aquis admovent, usque in  
 finem orantem, & Deum laudantem, &  
 projectum in flumen, ligno, quod collo  
 ejus alligaverant, præfocant. Etatis an-  
 nos numerabat S. Sabas triginta octo, pas-  
 susque est die Jovis hebdomadæ Paschalis  
 pridie Idus Aprilis, Modesto, & Arintheo  
 Consulatum gerentibus, id est, 12. Apri-  
 lis anno 372.

## §. XLIV.

## S. Sabæ Reliquiæ.

Persecutionis ministri corpus Martyris  
 ex aqua extractum, reliquerunt inse-  
 pultum; a feris tamen & avibus inta-  
 ctum, Fideles custodierunt. Junius So-  
 ranus Dux Scythiæ, seu Tribunus mili-  
 tum,  
*Hist. Eccles. Tom. IV.*      A a      tum,

Sæculum IV.  
A. C. 374.

Sæculum IV. tum, qui illis confiniis pro Imperatorum  
 A. C. 374. præsidio erant, S. viri reliquias in Romæ  
 norum ditionem advehi iussit; deinde  
 gratum facturum Cappadociæ, Patriæ suæ,  
 easdem consentientibus Presbyteris illuc  
 misit; S. corpori juncta est epistola Ec-  
 clesiæ Gothorum ad Ecclesiam Cappado-  
 ciæ, & omnes Ecclesiæ universalis Fide-  
 les data. Hæc epistola narrationem Mar-  
 tyrii S. Sabæ continet, & clauditur in hæc  
 verba: *quare, S. Sacrificium offerentes  
 ea die, qua Martyr coronatus est, id ipsum  
 fratribus nostris notum facite, ut Dominus  
 ob hanc victoriam per totam Ecclesiam Ca-  
 tholicam, & Apostolicam laudetur. Sa-  
 lutate omnes Sanctos! salutant vos, qui  
 nobiscum persecutionem patiuntur.* Non  
 levis est conjectura, hunc Ducem Scythiæ  
 eundem esse, cui S. Basiliius scripsit epi-  
 stolam, cujus ultima verba hæc sunt: *re-  
 ligiose facies, si Reliquias Martyrum in  
 patriam tuam miseris, si verum est, quod  
 ad me perscripsisti, persecutionem, quæ in  
 vestris regionibus sævit, adhucdum bodie  
 Martyres efficere.* Illuc quoque credi-  
 tur, epistolam Ecclesiæ Gothiæ ad Eccle-  
 siam Cappadociæ, quæ cum Reliquiis S.  
 Sabæ missa est, a S. Ascholo Episcopo  
 Thessalonicensi, Macedoniæ Metropolitano,  
 fuisse compositam; duas quippe epi-  
 stolas S. Basilii habemus ad S. Ascholum  
 hac super materia, quarum prima respon-  
 sum

*Epist. 241.*  
*p. 1015.*

*Ep. 338.*  
*339.*

sum ad Epistolam Ecclesiae Gothorum esse videtur; in ea gratias Ascholo agit, quod sibi novum Martyrem ex Provincia barbara, Romanis vicina, & trans Danubium posita transmittat, atque etiam pro fidei, & egregia narratione Reliquiis adjuncta; memorat etiam hunc Martyrem ligno, & aqua consumptum fuisse, quod in Martyrii Historia expressis verbis legimus; & tandem S. Ascholo gratulatur, quod Patriam suam, nam & ipse erat Cappadox, tanto munere decoravit.

Sæculum IV.  
A. C. 374.

P. 1113.

§. XLV.

*S. Basilii, & Eustathii Sebasteni amicitia.*

Illo tempore S. Basilio præter continuas corporis infirmitates, quas patiebatur, sæpius cum Ecclesiae inimicis tam domesticis, quam exteris pugnandum erat. Inter cætera Eustathii Sebasteni Episcopi separationem ægerrime tulit. Cum eo veteris amicitiae vinculo conjungebatur, & pro viro pietatis singularis habebat; ex quo erat Episcopus aliquos viros, qui secum labores Episcopales partirentur, Eustathio commendante susceperat. Interim crebræ eundem vacillationes in fide aliquibus Catholicis, præsertim suo Metropolitano Theodoto Episcopo Nicopolis, minoris Armeniæ, cujus Provinciæ

Sup. l. XIV.  
S. I.

Ep. 370. ad  
Hilar. ep. 79.  
urb. p. 895.